

290. VII. Res spirituales simoniace acceptae generatim non sunt restituendae. Nam nullo jure talis restitutio universe injungitur : non jure naturali, cum nihil obstiterit (ut supponitur) validae translationi ; non jure positivo, cum hujusmodi generalis obligatio restituendi ante sententiam judicis non reperiatur. Adde : plura, ex. gr. sacramenta, restitui non posse. Excipiuntur tamen beneficia quorum collatio, ipso jure et ante sententiam judicis, irrita declaratur. (Extrav. l. 5. t. 1. c. 2) Quare etiam fructus percepti eadem ratione sunt restituendi, siquidem acquiri nequeunt sine titulo. (Extrav. cit.)

VIII. Pretium temporale acceptum pro beneficio aliave re spirituali, jure naturae restituendum est ei a quo acceptum est, donec collatio secuta sit : deest enim justus titulus ad illud servandum. Cfr. dicenda de contractu turpi. (n. 583) Si vero praestita est res spiritualis, non est facienda restitutio, ante sententiam judicis, quotienscumque laesa est sola virtus religionis : restitutio enim, ex natura sua, facienda non est nisi cum laesa est justitia commutativa. (n. 511) Hac autem laesa, restitutio regulariter facienda est danti, tamquam laeso ; in materia beneficiorum, idem fieri potest. (Ball. P. n. 359) Ob sententias tamen contrarias, restitutio etiam ecclesiae vel pauperibus fieri potest. Cfr. S. Alph. n. 115.

Hinc ad restitutionem nou tenetur qui vendit oleum sacrum, rosaria indulgentiis ditata, officium temporale ecclesiae, etc. pretio quod commensuretur valori materiae, commodo vel honori temporali quem officium illud vel etiam res spiritualis adnexum habeat. Idem dicendum de eo qui pro functione sacra stipendum sustentationi congruum exigeret contra prohibitionem legis ecclesiasticae, vel etiam mente simoniaca. Nam in his casibus illaesa manet justitia commutativa. Contra, ad restituendum tenetur qui pretium accipit pro re mere spirituali, quae nullum tempore commodum secum affert, cum talis res non sit pretio aestimabilis seu vendibilis : qui pretium exigit pro re spirituali jam ex justitia debita, ex. gr. parochus pro instructione catechetica ; qui pro labore extrinsece adnexo functionibus sacris, pretium exigit quod justam illius compensationem superet. (Ball. P. n. 354 seqq.)

SECTIO II. — DE SECUNDO PRAECEPTO.

291. Secundum Decalogi praeceptum enuntiatur his verbis : " Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. „ (Ex. XX, 7) Prohibet igitur quaecumque sanctissimo Dei nomini irreverentiam irrogant : quod praecepit contingit per blasphemiam vel defectum condicionum quae in juramentis votisque servandae sunt. Quare hic agemus de blasphemia, de juramento, de voto.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA.

§ 1. DE NATURA ET MALITIA BLASPHEMIAE.

292. DEFINITIO. Blasphemia est verbum maledictionis, convicii, seu contumeliae in Deum. (Suar. de Rel. tr. 3. l. 1. c. 4. n. 1)

Blasphemia igitur *proprie dicta* semper designat verbum formale, non autem aequivalens, puta per gestus, spundo in caelum, etc. Ratio est quod, communis usu, designat vitium linguae ; deinde opponitur directe laudi divinae, quae proprie verbis tantum exprimitur. Includit tamen certo verba scripta : siquidem scriptum tam expressam significacionem habet quam ore prolatum, et loco illius substituitur, ut usus S. Scripturae (2 Par. XXXII, 17) et nostrorum temporum comprobatur. Probabilius etiam ad sensum proprium blasphemiae pertinet verbum Deo contumeliosum quod voluntarie mente tantum pronuntiatur. (Suar. l. c. n. 2) Patet insuper grayiter adversari virtuti religionis omnia facta quibus contumelia vel convicium in Deum significatur, quamvis proprie non sint blasphemiae.

293. ASSERTA. I. Grave peccatum committit non tantum qui verba blasphemiae profert, formaliter intendens contumeliam Deo inferre, sed quicumque eadem adhibet in iis circumstantiis in quibus importent

diminutionem honoris Deo debiti : quod regulariter contingit quotiens cumque ea significative et serio proferuntur.

Ratio prioris partis clara est ; posterioris ratio desumitur ex obligatione qua unusquisque tenetur ad vitandam contumeliam quae ex ipsa significatione verborum, in iis adjunctis, in Deum resultat. Non erit tamen vera blasphemia si illa verba mere materialiter referuntur, ita ut loquens eorum significationem non faciat suam, ex. gr. confitendo peccata sua, vel si per modum joci ex animi levitate proferuntur.

Probabile autem est non vigere discriminem specificum inter malitiam blasphemiae *directae* seu in qua contumelia Dei intenditur, et *indirectae* seu in qua eadem virtualiter tantum est voluntaria. Nam a communisensu alienum videtur quod specifice differat injuria directe volita, puta furando segetes, ab ea quae indirecte tantum volita est, puta segetes vastando ad venationem instituendam. Verum quidem est multo majorem malitiam inesse directae quam indirectae blasphemiae ; sed haec est tantum circumstantia aggravans, quae probabilius non est a poenitente exprimenda. Ideo de hoc discriminere non est quidquam a confessario interrogandum. (Ball. P. n. 19 seqq.)

II. Malitia contra religionem quandoque accedit in blasphemia violatio etiam gravis alias virtutis, puta fidei, spei, caritatis. Quare distinguenda est, praesertim in ordine ad poenas ecclesiasticas, a blasphemia simplici, blasphemia *haereticalis*, qua veritas fide revelata negatur vel in dubium vocatur, ex. gr. "Deus est injustus, crudelis." Similiter distincte accusanda esset malitia gravis contra aliam virtutem, quae blasphemiae accederet, ex. gr. odium Dei in eo qui, ob infortunia sua, mala Deo ex hoc perversissimo affectu precaretur.

Ex altera autem parte, malitia contra religionem non raro penitus abest vel venialis fit, in eo qui verba blasphematoria profert ex subita ira vel alia simili passione, eo quod sensus verborum Deo contumeliosus penitus eum fugit vel (quod crebrius est) leviter tantum advertitur. Grave tamen peccatum committi posset, in hoc casu, ob voluntatem pravam qua quis consuetudinem blasphemandi emendare neglegeret. Cfr. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3.

III. Committitur blasphemia quando contumelia profertur contra Sanctos vel res sacras, si haec spectantur quatenus relationem cum Deo habent. Nam "blasphemia quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat." (S. Th. l. c. a. 1. ad 2)

Controvertitur utrum blasphemiae in Sanctos specifice differant ab iis quae contra Deum proferuntur. Multi affirmant (ut Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 278 seqq.), quia blasphemia contra Sanctos non solum adversatur

juri peculiari quod Deus habet ad cultum latriae, sed insuper juri peculiari quod Sancti habent ad cultum duliae. Practice tamen de hoc discriminere non est indagandum. Nam et S. Alph. (l. 4. n. 132) probabilem habet sententiam oppositam "cum ii, qui blasphemant Sanctos, verius (communiter loquendo) eos injuria afficere intendant, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum immediate referuntur."

Veniale tantum irreverentiam committunt qui ex joco aliqua leviora proferunt contra Sanctos, spectatos quatenus homines hic in terris fuerunt, vocando ex. gr. per jocum SS. Crispinum et Crispinianum sutores, etc. (S. Alph. n. 125)

294. IV. Maledictio quae profertur contra creaturas carentes, iis malum optando, peccatum blasphemiae constituit tantum quando hujusmodi creaturae considerantur praecise quatenus sunt Dei opera vel ab Eo immittuntur : quod sat raro contingit. Iisdem autem maledicere secundum se consideratis, leviter tantum illicitum est, tamquam otiosum et vanum (2. 2. q. 76. a. 2) vel tamquam actus impatientiae. Si vero spectentur in ordine ad creaturas rationales, malum quod ipsis optatur reapse optatur homini cui prosunt, vel ab eo cui nocent removendi petitur. Ideo minime peccaret qui iis malediceret tamquam occasione peccati vel gravis calamitatis. (Ball. P. n. 35)

Manifestum est graviter adversari caritati maledictiones quae proununtiantur contra creaturas ratione praeditas : nam aperte huic virtuti repugnat quod velimus malum proximo. Attamen peccatum istud quandoque erit veniale, vel ob parvitatem mali quod optatur, vel propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ea profert ex levemotu vel ex ludo vel ex surreptione aliqua. (S. Th. l. c. a. 3) Tandem omne peccatum abesset si servaretur ordo caritatis, prout explicatum est n. 230.

§ 2. DE PRAXI SERVANDA CUM BLASPHEMANTIBUS.

295. I. Imprimis in singulis regionibus inspiciendum quaenam inter formulas usu tritas habenda sint tamquam verae blasphemiae. In hoc autem judicio praevalere debet communis existimatio in regione recepta : nam ab hac pendebit utrum talium verborum prolatio, in iis concretis adjunctis, inferat gravem contumeliam Deo necne. Hoc igitur criterium praeponderare debet etymologiae et grammaticae, sive in affirmando, sive in negando charactere graviter injurioso alicujus formulae. Hinc :

1º Licet formula gallica (S. N. de D. vel S. D.) etymologice inspecta sensum rectum, immo et pium praestare possit, habenda est, in regionibus nostris, tamquam vera blasphemia : usus enim sensum ambiguum vocis *sacrum* ad sensum *maledicti* determinavit. Propterea non sunt audiendi qui (ut Gousset, Th. M. I. n. 460 ; Ball. P. n. 31) hanc formulam a blasphemia excusare conantur. Nam persuasio contraria est moraliter universalis, ut testantur AA. qui in Belgio scripsere. (Van der Moere, de Virtut. p. 176 seqq. ; Haine, Th. Mor. t. I. de sec. Praec. Dec. n. 46 ; Waffelaert, Confessarius rite instr. ad impugnandam blasph. n. 44) Nempe qui se aperte tamquam impios gerunt his formulis uti solent ad contemptum Dei rerumque sanctorum manifestandum : quare eas eructant quotiens aliquid sacri, puta sacerdos, pia imago, etc. iis occurrit. Ex hoc usu notissimo reliqui fideles in ea persuasione servantur quod hujusmodi formulae sine Dei contumelia ac proinde sine blasphemia proferri non possint. Profecto dolendum est has formulas, quae in se sumptae sensum innocuum habere possent, fuisse per consuetudinem ad hanc blasphematoriam significationem restrictas ; optandum quoque foret quam maxime ut, si qua ratione fieri posset, populus alium sensum his locutionibus affigeret atque ita multorum peccatorum fons occluderetur. Verum id obtineri posse, etiamsi passim incitarentur fideles ut eas formulas alio sensu proferrent, non putamus. Tanta enim est, saltem in regionibus nostris, eorum multitudo qui salutarem influxum hujus institutionis non experientur, vel voluntate aperte mala in his locutionibus sensu impio usurpandis persisterent, ut fidelis populus pergeret eas tamquam graviter Deo injuriosas habere. Adde : conatum qui fieret ad hanc sensus mutationem inducendam separari non posse a quodam contemptu et irrisione sacri magisterii, dum impii clamarent et vulgus existimaret jam licitas declarari blasphemias atque a gravi peccato immunem proclamari praxim quam sacerdotes semper qua concessionibus, qua catechesi, qua sodalitiis ad evellendas blasphemias institutis, tamquam grave peccatum aggressi sint.

Attamen, cum minus universalis sit persuasio de formula S. D., non est perturbanda bona fides eorum qui eam tamquam levem culpam accusant.

2º Formula flandrica : G. verdoeme, propter eamdem universalem persuasionem, videtur habenda tamquam gravem injuriam Deo irrogans et consequenter blasphematoria. (Van der Moere et Haine, ll. cc.) Etymologice significat imprecationem contra seipsum : " Deus damnet me. " Sed usus communis jam videtur eam accipere quasi sonaret : " Maledictus Deus ! " vel quasi Deus ironice provocaretur ad hominem damnandum. De usu illo et de inefficacia conatus qui fieret ad eum mutandum, eadem fere dicenda existimamus quae supra de formulis gallicis dicta sunt. Plerique tamen ex iis qui eam adhibere solent nullum ejus

sensum distincte apprehendunt : ac proinde (nisi sint prorsus impii) tota eorum malitia in eo est quod non abstinent ab usu quem didicerunt esse graviter Deo injuriosum. Posset quandoque confessarius utiliter objicere poenitentibus primaevum hujus formulae sensum, ut ita iis incutiat horrorem verborum quibus sibi aeternam damnationem exoptent. Sed his monitis non tolletur communis persuasio de sensu blasphematorio hujus formulae : manebit ergo in ejusdem prolatione malitia indirectae blasphemiae. Insuper advertendum neminem sibi serio optare damnationem aeternam. Quare si quis negaret sensum blasphematorium hujus formulae, jam nullam sufficientem rationem haberet ob quam ejus usum existimaret graviter culpabilem. Si enim, propter defectum seriae voluntatis, a gravi excusantur maledictiones in ira prolatae contra eos qui ab homine irato amantur, multo magis idem tenendum est de aeterna maledictione sibi ipsi optata. (S. Alph. n. 142)

Formula G. doeme vel G. dome, licet, spectata etymologia, idem sonet, a plerisque ut leve peccatum habetur : quare de ea fere dicendum ut de formula S. D.

3º Quaedam formulae vulgares, etymologice sumptae, habendae essent tamquam blasphemiae haereticales. Nihilominus, cum vulgus haeresim latentem neque intendere, neque agnoscere soleat, practice vix hanc labem contrahunt. Exempla habes in formulis gallicis S. milliard de D., Mille N. de D. vel in germanica " tausend sacrament. " Cfr. AA. supra cit. pro Belgio, et Lehmk. I. n. 371. Idem saepe dicendum de querelis eorum qui, infortunio pressi, dicunt " Deus mei oblitus est ! Si esset Deus, talia mihi non contingent ! " Nam crebro haec meram impatientiam exprimunt, haeresis autem non advertitur.

4º Non sunt habendae tamquam blasphemiae formulae corruptae, ut gallicae : " Jarnidié, mordié, " nisi formula corrupta passim in aliqua regione eodem sensu usurpari soleret ac genuina. Neque blasphemias accensendae sunt formulae unice conflatae ad habendum sonum acerorem, ut flandrica " sakkerdomme, sakternomeddomme. " Immo error particularis alicujus personae vel loci corrigendus videtur a confessario vel parocho, cum id plerumque efficaciter fieri possit, ne peccata conscientia erronca multiplicentur. Exemplum habes in iis qui gravem culpam censem proferre : N. de D. vel S. N.

5º Ut in casibus *dubiis* dignoscatur num poenitentes graviter deliquerint, pree oculis habendum est eximum principium quod pluries adhibet S. Th. (ex. gr. 2. 2. q. 72. a. 2. et q. 76. a. 3) : " In peccatis verborum maxime considerandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat. " Id ergo investigatur vel e communi persuasione in loco vigente, vel e responso poenitentis interrogati num haec verba tamquam magnam blasphemiam spectaverit. Si quaedam contumeliosa protulerint

ex. gr. in sacerdotes, videndum utrum prae oculis habuerint sacrum personarum characterem, an tantummodo (ut fit in aestu politico) earum defectus veros vel existimat^{os}. Neque nimis urgendi qui forte in formulis, quae communiter ut graves blasphemiae habentur (1^o et 2^o), nullum gravem reatum deprehendunt, sed protestantur has a se sine prava intentione proferri. Sic et S. Alph. (l. 4. n. 150) de rusticis Italⁱs sui temporis refert eos communiter gravitatem perjurii non apprehendere, et censem confessariis potius abstinentiam esse ab instruendis talibus de peccato gravi, quamvis fortiter monendi sint ut deinceps desinant falsum jurare. Rationem autem addit generalem: ne peccata materialia, ob malum habitum, formalia fiant. Eadem rudibus nostratibus, formulas blasphematorias e mera consuetudine proferentibus, cum discrete applicari posse opinamur. Reapse non ita obvia et simplex est ratio ob quam ab iis formulis sub gravi abstinere debent etiam ii qui easdem usurpant, nullatenus ad earum sensum attendentes, sed unice quaerentes formulas sonoras vel e quibus ceteri intellegant eos graviter iratos esse. (n. 293) Quare mirandum non est eam fugere multos rudes; qui proinde non peccabunt graviter dum iis formulis utuntur insulse potius quam impie, atque etiam forsitan ad corripiendos atque officii sui admonendos delinquentes per modum merae adjurationis. (n. 308)

296. II. Praecipuam difficultatem facessunt confessariis ii qui contractam blasphemandi consuetudinem emendare neglegunt. Cum hujusmodi consuetudinariis haec teneantur in praxi:

1^o Ne graviter urgeat confessarius poenitentem ut abstineat ab omnibus et singulis formulis quas adhibere solet, sed tantum ab iis quae, juxta superius exposita, malitiam gravem continent. De reliquis autem (si opus fuerit) prudenter instruatur poenitens eas nullam gravem malitiam continere, et suaviter inducatur ut ab iis quae nomen Dei continent, ob hujus SS^{mi} Nominis reverentiam, abstineat.

2^o Qui veras blasphemias eructandi consuetudinem contraxere, generaliter sub gravi urgendi sunt ut seriam voluntatem concipient eam deponendi, utque serios conatus in hunc finem adhibeant. Nam, etiamsi (ut crebro contingit) in his formulis nihil aliud quaerant quam verba sonora quibus iram suam manifestent, tenentur per se sub gravi hanc objectivam Dei contumeliam vitare. Cfr. n. 293, I. Attende tamen ad ea quae dicta sunt ad calcem n. 295.

3^o Confessarius plerumque non admodum sollicitus esse debet de numero blasphemiarum quas hujusmodi homines protulerint. Plerique enim eas edunt sine plena advertentia actuali: unde reatus earum potius consistit in prava voluntate servandae hujus consuetudinis, seu in emendationis negligenter, quam in singulis actibus. Quodsi, adhibita cura

convenienti, nihilominus talia verba e mera consuetudinis vi protulerint, patet eos ab omni peccato, tum ratione singulorum actuum, tum ratione ipsius consuetudinis, immunes esse: nam a singulis blasphemis abest malitia ob defectum advertentiae. a consuetudine ob conatus adhibitos. II autem qui consuetudini extirpanda debitos conatus non adhibent, pro gradu negligenter, gravis vel levis culpe arguendi sunt (n. 14. III). Poterunt insuper graviter vel leviter peccare in singulis blasphemis quas proferunt cum plena vel semi-plena advertentia ad earum malitiam.

4^o Quandonam absolutio differenda vel deneganda sit iis qui blasphemandi consuetudinem emendare neglegant, patebit ex Tr. de Poenit. n. 366 seqq. Merito notat Ball. P. (n. 28): "Difficile esse statuere, quando gravis sit culpa quoad eos qui causam utique retractant et conatum aliquem adhibent, qui tamen non semper sit intensus." Discriben quoque faciendum inter eos qui cotidie, sui plane compotes, blasphemare solent et eos qui formulas vulgares, tantum ubi ira extra se rapiuntur, proferunt: hi enim longe facilis a gravi reatu negligenter excusantur.

5^o Suadeat confessarius iis qui blasphemare solent ut verba sonora, nihil pravi significantia, loco blasphemiarum adhibeant: hoc enim facilius obtinebitur quam ut ab omni verbo indecoro abstineant. Poterit etiam suadere, vel quandoque in poenitentiam imponere ut, quotiescumque iterum blasphemaverint, aliquam brevem orationem recitent vel parvam eleemosynam dent.

6^o Omnino increpandi sunt omnes, et praesertim patres et matres familias, qui coram pueris adhibere solent formulas veris blasphemis valde affines: eorum enim exemplis pueri facile ad veras blasphemias usurpandas inducuntur. Attamen, cum ista conexio non sit ita certa, non statim gravis peccati arguendi erunt.

§ 3. DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI.

297. Vana haec usurpatio in eo sita est quod nomen Dei, sine contumelia quidem, sed tamen absque debita reverentia usurpatur. Hoc contingit praesertim tripliciter: 1^o Ex impatientia, ut si quis ab alio molestiam ferens, exclamat: *Mi Deus! dimitte me in pace!* 2^o Ex admiratione, ut fit ab iis qui, rem inopinatam videntes vel audientes, exclamat: *Mi Deus! quid est hoc?* vel *Jesu Maria! quis hoc praevidisset?* 3^o Plane otiose, ex. gr. *Mi Deus! quid vis?*

Talis usurpatio nominis Dei aliquam irreverentiam sapit, praesertim si crebra est, ideoque peccatum veniale constituit. Videtur saltem implicite prohibita iis locis S. Scripturae quae vetant ne Dei nomen in

vanum usurpetur (Ex. XX, 7) vel assidue in ore habeatur (Ecli. XXIII, 10), licet ibi praecipue juramenta superficia feriantur. Ex iis autem quae de blasphemia dicta sunt (n. 293, III), liquet idem cum proportione dicendum esse de inutili et irreverenti usurpatione nominum B. M. V. vel Sanctorum.

Potest omnis irreverentia et culpa removeri si sancta illa nomina pia intentione per modum invocationis adhibentur. Gravis vero culpa, si quando in tali usurpatione adesset, potius repetenda foret e pravo affectu interno, nempe irae vel contemptus formalis in Deum; sed ipsa externa actio seu prolatio verborum venialis maneret.

Aliqui AA. (ex. gr. Voit, Th. Mor. I. n. 514) censem leviter peccare eos qui nomen diaboli colloquiis intermischendi consuetudinem habent. Rationem tamen debilem afferunt, scil. quod sit saltem contra decentiam inimicum christiani populi tam crebro nominare. Ideo melius negatur per se ullum peccatum in hac consuetudine reperiri. (Gury, I. n. 298) Neque, in nostris regionibus, inde timendum est scandalum, nisi talibus interjectionibus uti solerent sacerdotes vel religiosi: in iis enim haec consuetudo indecens censeretur.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

§ 1. DE NATURA ET DIVISIONIBUS JURAMENTI.

298. I. Juramentum est invocatio Dei in testem alicujus rei. Scilicet particularia facta hominum solent confirmari per testes. Sed quandoque humanum testimonium ad hunc finem non est sufficiens, tum propter defectum veritatis humanae, tum quia homines ignorant multa, ut futura vel cordium occulta, de quibus tamen expedit ut certitudo aliqua habeatur. Ideo recurrit ad testimonium Dei, qui nec mentiri potest nec quidquam ignorat. (2. 2. q. 89. a. 1) Adducitur autem Deus in testimonium, eo sensu quod jurans, quantum in se est, cupiat ac velit Deum id quod jurat testari et manifestare, si et quando illi placuerit, sive in hac, sive in altera vita, tamquam quod ab eo sit cognitum et verum. (S. Alph. n. 133) Hinc sequitur major certitudo rei juratae eo quod jurans, qui supponitur Deum timere, non ausus esset Deum in testem invocare et se in hac alterave vita divinae vindictae exponere nisi res vera foret.

Liquet juramentum esse actum latriae. Jurans enim invocat testimonium divinum ad confirmando ea quae dicit, ac proinde profitetur Deum esse omniscium et infallibilem: quod sane summam reverentiam continet. (S. Th. I. c. a. 4)

II. Juramentum fieri potest, non tantum per *expressam*, sed etiam per *implicitam* Dei invocationem. Implicite autem invocatur Deus cum juratur per creaturas in quibus *speciali* ratione divina attributa eluent. Sie qui jurat per caelum intellegitur jurare per Deum qui in caelis est (Matth. V, 34); qui jurat per Evangelium intellegitur provocare ad Deum cuius veritas in Evangelio continetur (S. Th. I. c. a. 6). etc. Quaenam autem creaturee hac speciali ratione divina attributa praeseferant, non ita liquet. De quibusdam nullum esse potest dubium: sic certo jurabit qui in testimonium appellat sacramenta, crucem, etc.; non jurabit qui provocat ad barbam, Jovem aliosve deos antiquatos. Quandoque solitus pendebit a ratione qua in his locis temporibusque res communiter considerari soleat. Sic qui jurat *per solem* ab aliis Deum invocare (D'Annib. II. n. 23), ab aliis jocari censem (Ball. P. n. 22): posterior interpretatio magis cum nostris moribus congruit.

Insuper invocatio Dei in juramento fieri potest vel verbis vel actione aliqua, ut erectione digitorum, tactu Evangeliorum, vel utroque simul, ut e praxi notissimum est.

299. III. Dividitur juramentum ratione materiae in *assertorium* et *promissorium*. Assertorium est quando divinum testimonium inducit ad asserenda praesentia vel praeterita; promissorium, quando idem inducit ad confirmandum aliquid futurum. Ratio hujus posterioris vocabuli inde sumenda est, quod plerumque adhibetur ad confirmandam promissionem, addendo obligationi fidelitatis vel justitiae obligationem religionis; potest tamen fieri etiam sine ulla promissione, puta si quis jurat se jam numquam ludis aleatoriis participatum esse. In promissorio juramento semper includitur assertorium: nam sic jurans imprimis Deum adducit testem *praesentis* suae intentionis se obligandi et implendi suo tempore quod promittit. (D'Annib. II. n. 25)

Ad promissorium refertur etiam illud quod quidam comminatorium vocant, ex. gr. "per Deum, te ad judicem deferam, si iterum te furantem deprehendero!" Isdem ergo subjacet regulis ac promissorium.

IV. Ratione modi quo Deus invocatur, dividitur juramentum in *contesteriorum* et *execratoriorum* seu imprecatorium. Prius illud est quo Deus simpliciter ut testis invocatur; posterius, quo non solum ut testis, sed etiam ut vindicta invocatur, cum jurans se vel alium dilectum, vel